CONCLVSIONES

Ex

UNIVERSA THEOLOGIA SELECTÆ

quas
Sub auſpiciis

ILLUSTRISSIMI, & REVEREN-
DISSIMI DOMINI

D. IOSEPHI
De WYHOW
WYHOWSKI

EXARCHÆ TOTIUS RUSSIÆ, EPISCOPI
LUCEORIENSIS, & OSTROGIENSIS,

nec non Comitis Sacri Romani
Imperij.

Publicè defendendas exponunt
Alumni Collegii Pontificij Leopolienſis, ſub directione

Clericorum Regularium S. Sedis Apoſtolicæ
Miſſionariorum in Regno Poloniæ.

Annô Domini 1726. Menſe Junij Die 6

ILLUSTRISSIME ac REVERENDISSIME

PRÆSUL.

VLtima Theologici Cursûs subituri certamina, non alio muniri desideravimus Patrocinio, quàm Gentilitijs pennatum Tuorum insignibus Illustrissime ac Reverendissime Præsul. *Si enim Regina volucrum Aquila, quæ Hieronibus Regnum Tarquinijs portendit Imperium ipsumquè Jovem ad Divinitatem scandentem, suis humeris subvexisse fertur, non nisi felices exorsus, felicioresquè exitus ominatur nonne WYHOWSCIORUM illustrata Nomine secundos nobis denunciabit magis quàm promittet eventus? Militavit sanè armigera Prosapiæ Tuæ Aquila pro Tua & antenatûm Tuorum gloria, nec eousquè Sarma-*

tico

tico certare desiit cum solio donec æviternum Proceribus Tuis Nomen Tibi verò Præsuleum simul ac Exarchale porrexerit Diademma. Ipsa Sola nobis etiam tacentibus loquitur majorum Tuorum series, cujus vocibus si audacem nimis aptare tentamus auditum, boni superi qualis rumor & strepitus qualis per gloriosissimas Famæ tubas transmissus sentitur! tot Romani Imperij Comites, tot Duces, tot Præsules, Nobilitatem à Romanis Cæsaribus cum Stemmate derivatam Regios etiam mores præseferentes non modò meritis debita probant prima honorum culmina, quæ in Polonia & cæteris nationibus occuparunt, verùm etiam Regali sceptro sese dignos ostendunt. Loquitur litera Vestra ABDANK & obscurata Lacedemoniorum Lambda, non scutis tantùm sicut illa inscribi, sed Regiis etiam Coronis & Infulis incidi debere Jure merito intendit. Simplex equidem illa fuit modicumquè Virtutis habens Græcorum Litera, Tuaècontra de binis copulata nexu certò certiùs tritam illam promerebitur Epigraphem Virtus unita fortior. *Verùm quid abavita Domus Tuæ pulso decora. Hæc enim tota quanta sunt quamvis certè maxima in Te eo Nomine adhuc majora mirantur quòd illa vix Tua voces, & ad veram gloriam quæ egregiè factis comparatur sic incumbas quasi illa hæreditaria non haberes. Testes sunt Luceorienses Ædes & altaria à Tua magnanima piètate, aut restaurata, aut erecta totaquè Tua Diœcesis promulgare non desinit quanto in reformanda Ecclesiasticorum morum disciplina, in Divino promovendo cultu exardeas desiderio. Redivivum sanè Paulum maximum illum Christi te diceret Apostolum, nisi quotidiè magìs in dies accrescentem virtutibus, verum te cognosceret IOSEPHUM. Lætatur gloriosa duos simul unà Germanos Fratres in Latina & Ruthena Cathedra eodem tēpore spectasse sedentes & tunc potuit se in illa muliere præfiguratā credere cui Pathmæus Vates duas advolandum alas submini-*

nistra-

nistratas vidit cum verè WYHOWSCIORUM Aquilæ alis innixa interrupto cursu ad veram felicitatem avolaret: & certè alteriùs fata inconsolabili fletu deploraret, nisi in Te uno utriusquè virtutem superstitem adoraret. At cur domesticos adhibeo testes, quorum Fides in Tui commendatione suspecta esse potest pro ea quâ in Te sunt benevolentia animati? Nos nos ipsi testes sumus, qui Te in noviter inceptis Alumnorum fundationibus hujus Collegii Confundatorem veneramur. Universa testis est Russia, quæ in Zamosciana Synodo collecta svaves Tui Judicii effusos flores, suppeditata ad Ecclesiæ Roxolanæ firmitatem fundamenta, ubique deprædicat. Nec reticere unquam poterit insignem Tui animi humanitatem liberalitatemquè, quam deinceps in Tua Cathedra collocati pro ejusdem Synodi Promulgatione experti sunt totius Russiæ Antistites. Hoc unum restat Exarcha Illustrissime *ut si in Divinarum rerum contemplatione in sectandis Virtutibus gressus Aquilæ imitaris (quod ut non deficiat immortalem DEUM exoramus:) ut scilicet renovetur ut Aquilæ juventus Tua. Æquum est ut si senilem maturitatem à tenerioribus annis coluisti in qualicunquè etiam seniori ætate robusta Tibi contingat juventus. Necessarium est, ut ad communis nostræ felicitatis incrementum, ad Universi Orbis solatium, renovetur semper ut Aquilæ juventus Tua. Dixi.*

Æternum Devinctissimi Clientes Alumni Collegii Pontificii Leopoliensis.

DE SACRA DOCTRINA

I. SAcra illa & Theologica Doctrina, cui si ex defectu evidentiæ ratio scientiæ rigorosè acceptæ in nobis non competit, scientia saltem minus strictè sumpta. & quidem partim practica & partim speculativa, quin imo & sapientia nuncupari potest, & est, quamvis singulis hominibus in particulari necessaria non sit, toti tamen Ecclesiæ si non simqliciter summæ utilitatis, & *secundum quid* necessaria est, Deumquè respicit, tanquam materiale, attributionis objectum, nec non Deitatem ipsam, prout cadit sub revelatione virtuali, pro objecto formali, ita ut Deitas sit ratio formalis *quæ*. revelatio vero virtualis, ratio formalis *sub qua*. Hæc habitus est mentis, quo præsidio Divinæ revelationis, accedentibus adminiculis naturalium rationum propugnamus, & confirmamus Christianam fidem, Inconcussa quædam habens principia, ex quibus sua argumenta desumit nempe.

II. EX Sacra scriptura, quam ultrò existere Catholicè profitemur, Spiritu Sanctò non assistente tantum, sed verba, & minimos usquè apices dictante elaboratam dicimus, & multis Idiomatibus, versam fuissé scimus. Et quamvis ex Græcis versionibus celeberrima fuerit versio, quam septuaginta Interpretes non in una congregati Basilica, sed singuli singulis inclusi cellulis, miraculosè ediderunt, modo tamen ex omnibus solam vulgatam, quam authenticam declaravit Tridentinum Concilium pro infallibili fidei nostræ regula recognoscimus, in qua duplex attendendus est sensus, litteralis scilicet & mysticus, quorum primus firmum suppeditat argumentum pro fide & moribus, secundus vero non, nisi gravis illi adjiciatur auctoritas.

III. EX Sacra traditione cujus existentiam perperam impugnant Hæretici contra quos verè dari & (dummodo Divina sit, & ab humana per determinatas, notas discreta) eadem authoritate, ac scriptura Sacra pollere propugnamus, cum DEI verbum non à charta vel à voce, sed ex eo quod à DEO profectum sit, propriam authoritatem desumat.

IV. EX definitionibus Romanæ seu Pontificiæ Ecclesiæ quæ est cætus, fidelium in eodem corpore, sub eodem capite, in unius fidei professione viventium. Quare sive prædestinati, sive reprobi, sive perfectt, sive peccatores, dummodo hæretici manifesti, ac Schismatici non sint, corpus hoc mysticum componunt, extra quod nulla salus, nulla quies haberi potest.

V. EX summorum Pontificum oraculis. Summus namq; Romanus Pontifex Divo Petro succedens in monarchico Ecclesiæ regimine, quem JESUS Christus Dominus noster instituit, ipsique tradidit per illa verba *pasce oves meas*. Succedit quoquè in plenitudine potestatis, in infallibilitate quo ad fidei & morum controversias definiendas, adeo ut dum universam docet Ecclesiam independenter etiàm à Conciliis, errare nunquam possit. Eo ipso autem quod Pontifex est ab universa Ecclesia acceptatus de fide tenendum est, verum esse Pontificem. Quare hoc idem dicendum est, de hoc numero homine Benedicto XIII. quem de fide credimus esse verum Pontificem Petri successorem.

VI. EX Sacris Ecclesiæ Conciliis, in quibus sedere ut Judices non ex quocunque genere homines possunt, sed soli Episcopi de Jure, Cardinales ex consuetudine, Abbates & Religionum Generales ex privilegio: Concilia Generalia convocare solius Romanæ Pontificiæ authoritatis munus est, ijsq; præsidere convocatis. vel per se, vel per Legatos suos ad Romanum Pontificem solummodo spectat. Quin imo si ab ipso Pontifice congregata & confirmata sint, eorum circa fidem & mores decreta fide Divina credenda sunt, secus tamen si seorsim à Romano Pontifice, & antecedenter ad illius approbationem considerentur. Hinc est quod Generale Concilium, non est supra Pontificem, sed potius hic absolutè & simpliciter est supra Concilium, nec à Pontifice ad Concilium appellare licet.

VII. EX Sanctis Ecclesiæ Patribus, quales dicuntur, qui ob eminentem doctrinam, insignem vitæ sanctitatem, & competentem antiquitatem ut tales sive tacite agnovit, sive expresse declaravit Ecclesia, ex quibus si pauci silentibus cæteris, aut ex altera parte reclamantibus aliquid doceant, tunc ex eorum authoritate non certum, sed probabile desumitur argumentum, si vero omnes moraliter, in unam eademq; conspirent sententiam, in explicatione alicujus Sacræ scripturæ textus, argumentum erit infallibile.

DE DEO UNO

I. DEUM existere fide credimus, & à posteriori demonstrare possumus, nullatenus vero à priori, unde propositio hæc *DEUS existit* est per se nota quoad se, licet talis non sit quoad nos; nihilominus, ita facile innotescit, ut alicujus Numinis existentiæ penes Regnũ aliquod, aut Provinciã ignorantia invincibilis non reperiatur. Hujus DEI essentia quæ physicè accepta, includit totum esse absolutum, & relativum DEI, metaphysice considerata in solo prædicato asseitatis consistit.

II. DEUS summè simplex est, immutabilis, immensus, æternus. Simplicitas excludit qualemcunq; compositionem physicam, & metaphysicam, & extrinsecam, quæ dicitur *ex his*, non autem extrinsecam quæ dicitur *cum his*. Immutabilitas se extendit ad omnes actus, nedùm necessarios, sed etiam liberos. Ratione Immensitatis DEUS est substantialiter præsens omni creaturæ in omni loco, non tamen in spaciis imaginariis, siquidẽ non per distantiã, sed per operationẽ sit formaliter præsens. Æternitate demum coëxistit DEUS tempori & creaturæ, pro eo tunc, quo realiter existunt, non autem ab æterno, nisi objective. Divina attributa quæ nullam, sivè realem, sivè formalem ex natura rei distinctionem admittunt, sola distinctione rationis ratiocinatæ ab essentia & inter se distingvuntur.

III. NUllus oculus corporeus, nullaque materialis potentia etiàm supernaturaliter elevata, neq; intellectus in solis naturæ viribus constitutus DEUM ut est in se intueri potest, secus tamèn sentiendum est de intellectu creato, per supernaturale auxilium aliquod elevato; hoc tamen non obstante nec DEUM comprehendere valebit, nec possibilis est creatura, cui connaturalis sit visio DEI intuitiva.

IV. AUxilium de lege ordinaria humanum intellectum elevans non est nisi Lumen gloriæ, idest qualitas quædam supernaturalis permanens per modum habitus intellectui inhærentis: quod lumen gloriæ licet per immediatum influxum ad Beatificam producendam visionem concurrat, tota tamem ratio agendi non est: Quin imò activè quoque & immediate intellectus ipse concurrit, cum quo tamen stat, ut visionis inæqualitas à sola luminis inæqualitate petenda sit, adeo ut major vel minor perfectio naturalis in intellectu impertinenter se habeat. Verum absolute loquendo satis erit ad visionem si intellectiva potentia elevetur per qualitatem transeuntem vel si ipsi extrinsecè assistat Divina Omnipotentia præbens concursum suum supernaturalem & indebitum.

V. POssibilis est species impressa creata DEI quæ sit accidens objectivum essentiæ Divinæ tanquam instrumentum libere assumptum ad concurrendum influxu objectivo ex parte DEI in visionem Beatam; verum si loquamur defacto DEUS per se ipsum immediate per essentiam suam sese intellectui Beatorum manifestat.

VI. QUamvis non repugnet, quod visio DEI sit præcisiva, ita ut videatur essentia Divina, attributis & Personis formaliter non visis, vel unum videatur attributum non aliud, vel una non altera Persona, Beati tamen revera vident essentiam, Personas, & attributa, non tamen omnes habitudines & respectus, seu gradus & modos omnes attri-

Tri-

butorum. Cognoſcunt inſuper aliquas creaturas ex vi viſionis formaliter, aliquas ex vi viſionis cauſaliter; ex exiſtentibus etiam, futuris contingentibus, & ſecretis cordium, eorum notitiam habent, quæ ad proprium ſtatum pertinent.

VII. SCientia quæ in DEO verè datur, non eſt habitus, nec qualitas, aut accidens ſicuti, ſcientia creaturarum, ſed proprijſſimum Divinæ eſſentiæ attributum, quod ita perfectum concipimus, ut in ipſo nullum cognoſcamus actum primum intelligendi, ſed ſolam non repugnantiam ad intelligendum, & actualem ipſam intellectionem, cujus primarium. & adæquatum objectum eſt. Divina eſſentia, terminativum vero & ſecundarium omne cognoſcibile. Hæc Divina cognitio ut pote infinita, adæquat & abſorbet Divini objecti cognoſcibilitatem, ideoq; DEUS ſeipſum, in ſeipſo immediatè & perfectisſimè, comprehendit.

VIII. TRifariam ex parte objecti Divinam ſcientiam dividimus. Prima, quæ ſcientia ſimplicis intelligentiæ vocatur, quæque ſola eſt, cauſa rerum, videt DEUS poſſibilia omnia, non in ſe ipſo ſolum, verum etiam in ſe ipſis terminativè. Secundâ quæ viſionis dicitur, quidquid abſolute futurum eſt, ſive effectus naturales ſint, ſive actus noſtri liberi, & quidem non in eorum reali præſentia, in nunc æternitatis, vel in Divinis idæis, cauſisvè proximis, nequè in aliquo decreto ſcientiam mediam antecedente, ſivè prædeterminante, ſivè concomitante, ſed in ſe ipſis clariſſimè intuetur. Tertia deniquè eſt ſcientia media ita dicta, eò quòd inter ſcientiam ſimplieis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis mediat, qua DEUS omnia futura libera conditionata, in ſeipſis perfectiſſimè cognoſcit. Quare admittendum non eſt, tanquàm medium hujus Divinæ cognitionis decretum prædeterminans, aut condeterminans quamvis ponatur abſolutum ex parte actus & conditionatum ex parte objecti.

IX. CUM ex inviſibilibus rationibus idæalibus in verbo DEI per quod omnia facta ſunt, res viſibiles ſint productæ, tot DEUS habet idæas rerum omnium producibilium, etiam in individuo, quot ſunt res quas producit, vel producere poteſt quæ ideæ, ſunt ipſe res poſſibiles, à DEO cognitæ ut factibiles.

X. QUemadmodum repugnat in DEO intellectus, per modum actus primi phyſici, ita & voluntas quæ infinite perfecta ponenda eſt in DEO, nec aliud habere poteſt formale objectum, quam ipſam Divinæ eſſentiæ bonitatem, licet materiale objectum ad omne id extendatur quod habet rationem boni, aut mali tum phyſicè, tum moraliter accepti. Hac voluntate tendit DEUS erga ſeipſum amore neceſſario, quin imo etiam creaturæ poſſibiles, quas amat amore ſimplicis complacentiæ, cum neceſſariam dicant bonitatem, neceſſarium etiam terminant Divinæ voluntutis amorem.

XI. DIvina voluntas alia eſt efficax, alia inefficax. Hæc non conſequitur finem ſuum, ſecùs verò illa, quæ quamvis infallibiliter obtineat effectum, non propterea humanæ libertati præjudicat, poſito ſcientiæ mediæ beneficio. Illa vero voluntas, qua vult DEUS omnium omninò & quidem ſingulorum hominum ſalutem, quamvis non ſit ſola voluntas ſigni, ſed vera ac ſincera voluntas beneplaciti, eſt tamen voluntas antecedens, & ſolum conditionate efficax.

XII. VEra & propia libertas Divinæ voluntati formaliter competit, cujus liber actus congruentius explicatur, per hoc quod ſit ipſe actus neceſſarius ob ſui illimitationem, & intrinſecam Divinæ voluntatis libertatem, ad creaturas ſeipſo liberè terminatus, abſque ulla ſui mutatione, ita ut ſupra actum neceſſarium, nihil addat, niſi diverſam terminationem ad objectum creatum, quæ ſimpliciter & entitativè ſit indefectibilis, deficere tamen poſſit ſecundum quid, & denominativè.

XIII. NUlla datur quantumvis minima ac vilis creaura, quæ exactiſſimo Divinæ Providentiæ non ſubiaceat imperio, & diſpoſitioni mirabili. Hanc tali pacto Catholicè admiſſam, non in ſolo actu iniellectus ac voluntatis diſiunctivè, ſed in utroque coniunctim ſumpto conſiſtere volumus.

XIV. CUm certum ſit neminem ſalvari, aut damnari neminem, niſi qui ab æterno irrefragabili DEI decreto, electi ſunt ad gloriam, vel reprobati ad gehennam, utrumquè tamen, ſive prædeſtinationis, ſive reprobationis decretum ſupponit merita abſolutè prævíſa quod, [loquendo de reprobatione] non ſolum debet intelligi contra Calvinum, quatenus eſt damnatio ad pænam. verum etiam quatenus eſt excluſio à gloria.

XVI. LIber vitæ & mortis, per quem nihil aliud intelligimus, quam cognitionem certam, & perſpicacem electorum & reproborum in DEO certè datur, & in hoc ſemel adſcriptus, obliterari & deleri nullatenùs poteſt.

DE

DE DEO TRINO.

I. INeffabile Trinitatis mysterium utpote supra non contra captum, nulla naturali ratione probari potest, hoc tamen ita credendum est, ut exprobata sabellianornm stultitia per nomina Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non diversitatem officij, sed realem trium personarum distinctionem in Sacra scriptura nobis revelari fateamur, quin destruatur unitas illa essentiæ inter Personas, quam non similitudinariam & collectivam ut voluit Ioachimus Abbas, sed verè essentialem profitemur.

II. QUinimo tanta est trium Personarum in essentia unitas, ut Filius sit verè homousion, hoc est consubstantialis Patri sicut contra Arium definivit Ecclesia, quod etiam de Spiritu Sancto cum Patre & Filio contra Macedonium decretum est, ut in confessione Trinitatis Personarum omnimoda in esseniia unitas, in potentia & majestate adoretur æqualitas.

III. QUamvis ex operibus Trinitatis ad extra, quæ sunt specialiter manifestativa potentiæ Patri, quæ sapientiæ Filio, quæ bonitatis Spiritui Sancto appropriative tribuantur, revera tamen proprie loquendo indivisa esse [ut fert commune Theologorum axioma) fide & ratione comprobatur.

IV. DAtur processio realis adintra, secundum quam una persona procedit & producitur ab altera; Ex processionibus duæ passivæ sunt quæ realiter inter se distingvuntur, quibus duæ correspondent activæ non tamen realiter distinctæ, ita ut generatio activa in Patre, correspondeat generationi passivæ Verbi, & spiratio activa in spiratore qui est Pater & Filius correspondeat spirationi passivæ Spiritus Sancti. Inter processiones passivas hoc ponit fides Catholica discrimen, quod processio Filij generatio dicatur, & id Spiritus Sancti processioni non conveniat, quæ processio simpliciter, vel spiratio passiva dicitur. Hujus autem discriminis, alia probabilius non assignatur formalis ratio, nisi quia precessio Filij tendit ad communicandam naturam cum fæcunditate, secus vero processio Spiritus Sancti.

V. QUatuor in Divinis sunt reales relationes originis, quæ cum essentia comparatæ, sola distinctione rationis ratiocinatæ distingvuntur. Si vero inter se considerentur, licet Paternitas, Filiatio, & spiratio passiva, realiter distinguantur, spiratio tamen activa, à Paternitate & Filiatione, non realiter, sed ratione, sicuti ab essentia distinguitur. Hinc relationibus secundam præcisam rationem *Ad* consideratis non competit perfectio virtutis, seu qualificativa, & excellentiæ, adeo ut hoc modo accepta relationes, perfectionem non dicant relativam, quæ sit distincta à perfectione absoluta essentiæ.

VI. TRes sunt in DEO subsistentiæ relativæ sumpta subsistentia pro tali complemento rei, quæ ita per se stet, ut incommunicabilitatem dicat, verum præter tres relativas admittenda est etiam una absoluta, sumpta subsistentia pro complemento rei, quæ ita per se stet, ut in ea linea perfici non indigeat.

VII. RAtio Personæ quæ in sensu proprio convenit DEO, licet importet quid absolutum, & relativum, formaliter tamen relationem dicit, ita ut Personæ Divinæ, proprietatibus relativis constituantur. Tres sunt hæ Personæ, quarum primæ tantum couvenit nomen Patris, Ingeniti prout omnem productionem excludit, principij inprincipiati, prout exprimit primarium fontem Divinitatis. Secunda duntaxat Filius, Verbum, & Imago dicitur. Tertia Spiritus Sanctus nuncupatur, quod vocabulum si deducatur à spiratione passiva adeo ut idem sit ac spiratus, solius tertiæ personæ propium erit.

VIII. TUrpiter errarunt circa processionem Spiritus Sancti Græci, Schismatici, putantes à solo Patre procedere, cum verè æternaliter, & pariter procedat à Patre & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ab uno, non duabus, sed unica spiratione. Hôc tanquàm Catholicô dogmate juxta Sacræ Scripturæ, Conciliorum, Sanctorumquè universalis Ecclesiæ Patrum sensum propugnato, licitum fuisse dicimus Ecclesiæ addere symbolo fidei particulam illam *Filioquè* veritatis declarandæ gratia, & urgente tunc necessitate. In hypothesi tamen impossibili, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, ab illo realiter non distingueretur, cum in Divinis omnia sint unum, ubi non obstat relationis oppositio.

IX.

DE ANGELIS ET BEATITUDINE.

Sub

I. SUbstantias omnino spirituales, naturâ suâ incorruptibiles, & immortales, soloque extraordinariæ Divinæ omnipotentiæ imperio destruibiles, quas Angelos nuncupamus existere fides docet & ratio naturalis quæ evidenter demonstrare non valet, satis probabiliter ostendit. Plures sunt Angelorum species, quas differre numero nullatenus repugnat, quinpotius probabilius est, plures esse ejusdem speciei Angelos, solô numerô differentes.

II. SPecies objectorum vicarias, quibus indigent Angeli ad cognoscenda alia á se, probabilius est non desumi ab obectis etsi spiritualia sint, nec emanare ab Angelorum substantia, sed fuisse à DEO productas, in principio eorum creationis, & unicuiq; infusas iuxta exigentiam propriæ perfectionis.

III. ANgeli præter cognitionem DEI & sui, rerum etiam naturalium existentium cognitionem habent, futura tamen quæ á libero arbitrio pendent non nisi coniecturaliter cognoscunt, Arcana etiam cordium certo & infalibiliier citra consensum exercentis vim dominativam erga actus suos connaturaliter ab eorundem intellectu penetrari nequeunt. Latent deniq; Angelos independenter ab indebita revelatione objecta quo ad substantiam supernaturalia, non tamen supernaturalia quo ad modum. Hinc est quod in ijs in quibus evidentem cognitionem non habent, potest Angelica cognitio esse discursiva & subesse falsitati.

IV. LOcutio Angelica non rite explicatur per recursum ad signa sensibilia, aut intellectualia, neq; per hoc quòd loquens immediatè proprio actu quem intendit manifestare causet in intellectu audientis ejus speciem aùt impressam, aùt expressam, sed formaliter habetur per hoc, quòd Angelus loquens ordinet conceptum suum ad alium, cùm intentione quod ei innotescat: Quòd si hæc ordinatio, seu cognitio reflexa conceptum directum non præsupponeret, loquens mentiretur. Illuminatio autem habetur per hôc, quòd Angelus superior proponat inferiori objectum antea ipsi incognitum modo quodam ei proportionato.

V. VOluntas Angelorum in pura natura considerata, amat quidem necessario quo ad specificationē Deum et seipsos, libere tamen quo ad execitium. Cum Angeli neq; ubiq; sint neque nullibi, indigēt ubicatione distincta cōsona eorū naturæ,modo scilicet superaddito, quo definitivè locentur toti in toto, & toti in quälibet parte spatii, & licet plures Angeli possent esse in eodem loco & quidem naturaliter, non potest tamen unus Angelus esse in pluribus locis.

VI. IN primo creationis instanti habuerunt Angeli gratiam Sanctificantem, & quidem dependenter à propria dispositione. In eodem præterea instanti, habuerunt quidem potentiā physicam ad peccatum, non tamen moralem, posita viuida cognitione boni honesti, & ultimi finis, ac solum remissa apparentia boni delectabilis avertentis ab honesto,subsequenter tamen potuerunt peccare, & defacto peccavit Lucifer cum suis asseclis per hoc quod Christo ut homini venturo negaverit subjectionem, quam ab illo DEUS exigebat.

VII. QUod est hominibus mors, hoc fuit Angelis lapsus, proinde post lapsum non fuit illis pænitentiæ locus, hæc itaque causa est eorum obstinationis in peccato, quæ refundenda non est in eorum inflexibilitate, aut immutabilitate voluntatis Angelicæ, relate ad objectum cui semel adhæsit, qnæ non est admittenda, sed solum in statum termini, in quo sunt ubi non habent à DEO auxilia, sine quibus non possunt salutariter operari & pænitere. Commisso itaque peccato, post breve illud viæ tempus Angelis concessum damnati fuerunt ad tartara, ubi ab igne etiam corporeo torquentur, per hoc probabiliter, quod sint illi alligati, ex qua alligatione cognita, & nolita admodum tristantur, & torquentur.

VIII. BEatitudo supernaturalis, quæ est ultimus finis creaturæ rationalis elevatæ, quamvis physice considerata integretur per satietatem formalem omnium potentiarum, metaphysice tamen, seu sumpta pro illa operatione, quæ primo DEUM assequitur, essentialiter satiat, explètque primam creaturæ rationalis inclinationem, & radicaliter seu causaliter in actu exercito cæteras inclinationes radicatas in prima formaliter consistit in sola visione DEI, quam naturaliter sequitur amor.

DE HOMINE ET ACTIBUS HUMANIS,

I. HUmana natura, quæ in Protoparente nostro Adamo DEUM habuit Auctorem, locum illum voluptatis, qui terrestris paradisus nuncupatur, ubi positus fuit Adam & ex ipsius costa efformata Eva, destinatum habuit, post peccatum tamen

men

men expulsi, & justitia originali privati fuere primi nostri Parentes & hanc vallem lachrimarum incolere cæperunt, ubi peccato per pænitentiam deleto, æternam salutem post mortem consecuti sunt in cælo.

II. QUinque communiter assignari solent humanæ naturæ status in via, nempe puræ naturæ, status naturæ integræ, status justitiæ oiiginalis, status naturæ lapsæ & status naturæ post lapsum per Christum reparatæ, in quo ex Divina misericordia nos sumus; & quamvis nullus unquam creatus fuerit homo in pura natura, hoc tamen non repugnare certum est, ita ut possibilis sit creatura, quæ nec habeat peccatum, nec gratiam sanctificantem, nec perfectam subjectionem appetitus ad rationem, nec immortalitatem, sed naturales duntaxat facultates, & divinum concursum ad suas naturales operationes necessarium.

III. ACtus quibus humana natura ad ultimum suum finem tendit, esse debent voluntarii & liberi. Voluntarium illud est quod procedit à principio intrinseco cum cognitione perfecta, & propterea ita acceptum soli naturæ rationali convenit, quæ si voluntariè necessariò feratur in aliquod objectum necessitate orta ex perfectione objecti, habebit voluntarium perfectius ipso voluntario libero. Potest dari uoluntarium & liberum absque ullo actu formali & explicito voluntatis etiam seclufo præcepto, ideoque puram omissionem liberam non repugnare dicimus, ad quam solum est necessarium præceptum ponendi actum ad hoc ut peccaminosa, nullatenus verò, ut sit libera & voluntaria.

IV. VOluntario violentum, & involuntarium opponitur. Violèntiam pati nequit voluntas in suis actibus elicitis prout violentia importat coactionem tanquam à principio activo, bene vero in suis actibus imperatis. Hæc violentia à DEO creaturis inferri potest in ijs, quæ naturales vires non excedunt; nullam tamen infert violentiam, dum agit in creaturis aliquod supernaturale, puta infundendo formam aliquam supernaturalem. Involuntarium causat ignorantia antecedens, & invincibilis, secus verò vincibilis, & consequens. Quæ vero fiunt ex metu tantum secundum quid involuntaria sunt. Tandem concupiscentia antecedens licet imminuat liberum, auget tamen voluntarium.

V. LIberum arbitrium convenit homini etiam in statu naturæ lapsæ, quare non solum habetur libertas à Coactione & violentia, sed etiam libertas indifferentiæ importans ut voluntas positis omnibus requisitis ad agendum possit agere vel non agere. Imò hæc omnino necessaria est ad merendum vel demerendum.

VI. CUm duplex sit modus tendendi in voluntate prosecutivè scilicet & aversativè, ideò voluntas adæquatè accepta habet pro objecto & bonum & malum, quod sufficit si tale appareat, ita ut per actus prosecutionis respiciat bonum, malum verò per actus fugæ, & quemadmodum tendere potest ad bonum absquè ullo respectu ad malum, ita pariter ad malum absque ullo respectu ad bonum.

VII. ACtus morales non dividuntur adæquatè in bonos & malos cum dentur actus morales secundùm speciem indifferentes quin imò probabiliter indifferentes etiam in individuo, & hi non solum per accidens, vel ex opinione probabili, vel ex errore quod non detur obligatio referendi signatè omnes actiones nostras ad finem virtutis, & operandi semper ex amore honestatis, sed etiam per se, ita ut hujusmodi obligatio probabiliter non detur.

VIII. PRimam & essentialem moralitatem desumunt actus humani ab objectis qui tamen fieri possunt boni vel mali etiam à circumstantiis, & à fine extrinseco non tamen ab actu externo; formalis namque bonitas, aut malitia est dumtaxàt essentialiter in actu interno voluntatis, & in exteriori per solam de nominationem extrinsecam, adeo ut actus externus non dicat diversam bonitatem vel malitiam distinctam, seu supra bonitatem vel malitiam actus interni sed solum denominetur bonus à bonitate actus interni.

IX. ULtima regula moralitatis est Lex æterna DEI per dictamen rationis, seu conscientiā, quæ est regula proxima nobis intimata; huic conscientiæ, si dubia speculativè sit dummodò tamen practicè sit certa conformari possumus. Et licet laudabilius semper sit sequi opinionem probabiliorem in concursu probabilis, licitum tamen est sequì opinionem minus probabilem relicta probabiliori & tutiori, idquè in materia juris, non facti, ubi adest periculum vel damni proximi, vel in validitatis Sacramentorum.

X. CUm DEUS omnium Adæ posterorum per naturalem generationem descendentium voluntates Protoparentis voluntati alligaverit, omnes homines, qui taliter in lucem eduntur, nascuntur filii iræ propter maculam Originalis peccati quam contrahunt, nisi specialis quis Privilegio eximatur, sicuti defactò ratione Maternitatis Divinæ excepta fuit Beatissima Virgo MARIA quæ etiam immunis fuit à debito proximo contrahendi peccatum originale. Si quis ex hominibus cum solo peccato originali moriatur, quàmvis visione Beatifica in pænam carere debeat, pæna tamèn sensûs nullatenus torquetur; qualem verò destinaverit DEUS locum pro talibus hominibus post finale judicium incertum

val-

valde eſt, probabilitèr tamen dici poteſt habitaruros fore locum aliquem obſcurum & ſubterraneum utpotè magis proportionatum pro ſtatu damnationis in quo ſunt.

XI. QUamvis reſtituatur nobis Innocentiæ ſtola in originali peccato deperdita, rurſus tamen quandoquè in actualia peccata labuntur homines quod toties contingit, quoties actus noſtri carent debita rectitudine ſeu conformitate ad legem æternam cum in negativo formalitèr conſiſtere putemus rationem formalem peccati, quod ſicuti in ratione malitiæ ita etiam in ratione offenſæ non eſt ſimpliciter infinitum, non obſtante quod per hoc quod ſit offenſa DEI ſit infiuitum ſecundum quid & in ordine ſuperiori ad qualemcunquè offenſam. Ipſo actuali peccatô transactô remanet in peccatoribus quouſque per pænitentiam non deleatur habituale peccatum cujus ratio formalis in eo conſiſtit, quod actuale præceſſerit & moraliter perſeveret in reatu odii Divini, & pænæ æternæ importante negationem condonationis & condignæ ſatisfactionis. Audiendi in hac materia non ſunt Hæretici putantes nullum de ſe dari veniale peccatum cum verè aliqua ſint peccata ex natura ſua venialia tneque æternâ pænâ digna.

DE GRATIA JUSTIFICATIONE ET MERITO.

I. SIne gratia Divina pro qua intelligimus Donum ſupernaturale excedens omnem naturæ exigentiam à DEO, à quo ſolo principaliter eſſe poteſt, nobis liberaliter collatum ad ſupernaturalem conferens Beatitudinem, quàmvis poſſet homo in præſenti ſtatu veritates aliquas naturalis ordinis cognoſcere, non tamen omnes, ſicuti etiam aliquod opus morale peragere bonum, non tamen DEUM diligere ſuper omnia, neque omnes tentationes vincere, aut omnia evitare peccata, quin imò ſi de venialibus ſermo ſit ad omnia collectivè vitanda nec ſufficit gratia quæ de lege ordinaria datur niſi ſpeciali aliquo privilegio, quemadmodum in Beata Virgine tenet Eccleſia ut ait Tridentinum, præmuniatur.

II. AD opus verò ſupernaturale exercendum omnino neceſſaria eſt gratia ita ut ad credendum ſicuti oportet ad ſalutem & ſalutariter operandum ex nobis ſufficientes non ſimus, ſed ſufficientia noſtra ita ex DEO ſit, ut non ſolum perficere, ſed neque incipere credere, aut velle abſque Divina Gratia poſſimus, & etiamſi juſtus ſit homo ſpeciali Divino auxilio indiget ut poſſit ad finem uſquè perſeverare.

III. DIviditur principaliter gratia in actualem & habitualem. Prima conſiſtit in noſtris actibus intellectus, & voluntatis, piis & ſupernaturalibus cogitationibus quibus apparet quod latebat & Sanctis inſpirationibus quibus ſuave ſit, quod non delectabat, propterea gratia præveniens ponenda non eſt in qualitate quadam mortua & non vitali. Secunda non eſt ſubſtantia, ſed qualitas quædam ſupernaturalis phyſica animæ inhærens permanentèr qua homo redditur Divinæ naturæ particeps, DEI amicus, Filius adoptionis & æternæ Beatitudinis hæres, & hæc realitet diſtinguitur à charitate, à qua tamen de ordinaria DEI potentia ſeparabilis non eſt.

IV. ACtualis gratia alia eſt ſufficiens, alia efficax, cum prima habetur proxima & expedita ſufficientia ad operandum, ratione cujus ſit moralitèr imputabilis operationis omiſſio, ſecunda verò hoc debet ſalvare ut infallibilitèr obtineat conſenſum abſq; læſione libertatis ad meritum requiſitæ. Hæc eſt ſpecialiſſimum Domum DEI qui ex nullis præcedentibus meritis noſtris, ſed ex ſola Benignitate decernit uni dare auxilium præviſum cum conſenſu conjungendum ſi daretur quin alter cui talis denegatur gratia conqueri ullo modo poſſit.

V. AXioma illud *facienti quantum eſt ex ſe DEUS non denegat ſuam gratiam.* non eſt verum in eo ſenſu quod DEUS facienti quantum eſt ex ſe, per vires naturales non deneget ſuam gratiam quaſi opera naturalia dicantur de congruo mereri gratiam, vel ad illam diſponere ſive poſitivè ſive negativè, benè verò in eo ſenſu quod DEUS facienti quantum eſt ex ſe per vires gratiæ prævenientis & vocantis non deneget ſuam gratiam ulteriorem quouſquè juſtificationem & ſalutem obtineat, ſicuti etiam quod ponenti per vires gratiæ actus ſupernaturales ultimò diſponentes ad juſtificationem, infallibiliter gratia iſtia obtineatur.

VI. JUſtificatio per quam peccata non occultantur aut raduntur ſed verè & propriè tolluntur, non habetur formalitèr per actus ſupernaturales charitatis aut contritionis, neque per habitum ipſum charitatis, ſed per ſolam gratiam ſanctificantem, ſine qua tamen

in aliena Providentia potest DEUS hominem justificare. Gratia præsentis Ordinis quam modo unicam justificationis formam esse diximus essentialiter justificat: ad hoc tamen salvandum dicendum est, quod præter esse supernaturale dicat dependere essentialiter à Divina promissione & esse veluti extrinseca DEI promissio, quâ DEUS se obligat ad amandum justum & dandam illi gloriam nisi velit amicitiam rescindere & gratiam amittere per peccatum, & hoc modo accepta gratia nequè Divinitùs cum peccato componi potest.

VII. SOla Fides non sufficit ad justificationem peccatoris, sed alii etiam requiruntur virtutum actus & ea quæ requiritur fides non est specialis quædam fiducia qua unusquisquè in particulari credat omnia sua peccata propter Christi merita sibi esse remissa sed vera fides qua assentimur veritatibus revelatis nobis propositis. Sine hac fide aliisquè actibus quibus peccator se disponat justitionem in præsenti providentia non acquirit, licet absolutè loquendo possit DEUS peccatum remittere absquè ullo prævio peccatoris actu.

VIII. Homo justus Viator operibus suis per gratiã factis reverà & propiè mereri aliquid à Deo potest vel de cõgruo vel de cõdigno. Ad hoc ut act9 sit meritori9 de cõgruo debet esse bonus, liber libertate indifferentiæ & elicitus ex auxilio gratiæ actualis, ut autem sit meritorius de condigno, requiritur ex parte ponentis actum status gratiæ, ex parte actus æqualitas, tandem ad perfectam condignitatem ex parte præmiantis requiritur Divina promissio, qua DEUS se obliget ad præmium conferendum.

IX. PRimam gratiam actualem necessariam ad primum actum bonum supernaturalem eliciendum nemo sibi mereri potest nec quidem de congruò, potest tamen justus mereri de condigno augmentum gratiæ & gloriæ & de congruo probabiliter reparationem post lapsum & Donum perseverantiæ, Et si quandoquè gratiam sanctificantem per peccatum amittat, opera ipsius in gratia facta solum mortificantur, adeò ut deleto peccato adæquatè revivìscant quoad jus ad præmium essentiale.

DE VIRTUTIBUS THELOGICIS.

I. OBjectum materiale primarium fidei Theologicæ est DEUS sub conceptu Deitatis, adæquatum verò prout comprehendit quidquid potest Fidei subesse est omne ens à DEO revelabile sub obscura revelatione. Tandem formale objectum est veracitas DEI loquentis seu revelantis, adeo ut ipsa quoque revelatio sit partiale constitutivum objecti formalis Fidei Divinæ.

II. DIvinæ revelationi subesse falsum nequit, cum DEUS mentiri non possit. Quare cum semper eadem sit sive publica seu universitati Fidelium intimata, sive privata ad actum Fidei supernaturalem alterutra sufficiet, secùs tamèn dicendum si sit solum revelatio putata.

III. OBscuritas objecti materialis Fidei ad rationem formalem non pertinet, sed est tantùm conditio essentialiter & necessariò requisita ad actum Fidei, quare cum possint adhuc remanere obscura revelata, si revelatio sit evidens, cum evidentia in attestante stare poterit Fides.

IV. SPes Theologica non solùm tendit tanquàm ad materiale objectum ad Beatitudinem, sed etiam ad omne illud quod ad æternam beatitudinem conducere potest & hoc ex motivo Divinæ Bonitatis respectivæ & virtutis ipsius auxiliantis adeo ut utraquè & Bonitas respectiva & Virtus ejus auxiliatrix objectum formale spei integrare habeant.

V. SPes quæ nos non confundit ad impossibile certè non tendit, qua propter si cui facta esset revelatio propriæ certò futuræ damnationis (quidquid sit utrùm sit possibilis talis revelatio:) Beatitudinem sperare nec teneretur, nec posset.

VI. CHaritas quæ DEUM primariò respicit & secundariò proximum à Bonitate DEI absoluta qua DEUS in se bonus est tanquàm à formali objecto movetur. Hac charitate DEUM super omnia diligere debemus qui est amor appretiativè summus quo DEUM ex toto corde & tota anima diligere præcipimur.

DE INCARNATIONE.

Quam-

I. QUàmvis nequè ab Angelo, nequè ab homine solo naturali lumine demonstrari possit tanti Mysterij possibilitas, Fides tamen nedum possibilem docet, verum etiam factam fuisse Incarnationem, cum reverà Divinum Verbum nulla necessitate motum sive supposita mundi creatione, sive supposito peccato, sive etiam supponeremus voluntatem redimendi hominem à peccato sed sola Divina sua misericordia convenientissimum hoc medium Redemptionis nostræ elegerit & in tempore executum sit in adventu Messiæ.

II. UNio hypostatica qua unitur Verbum cum humanitate assumpta non fuit facta in natura, cum utraquè natura Divina scilicet & humana permanserint distinctæ, atquè inconfusæ, absquè conversione aut permutatione in alterutram vel in aliam tertiam naturam sed facta fuit in persona ita quod in Christo duæ Personæ non sint, sed Divina & humana natura in eadem Verbi Persona subsistant, quin imò ratio terminandi humanitatem & humanitatis unionem sola fuit subsistentia personalis & relativa.

III. CUm nulla creatura quibuscumquè gratiæ auxiliis prædita condignè satisfacere possit DEO pro peccato mortali, ad hanc satisfactionem condignam exhibendam necessa- fuit Incarnatio, quâ habita Christus nedũ condignè satisfecit Patri pro peccatis totius mundi, sed etiã superabundanter quod non officit quin satisfacerit de toto rigore justitiæ qualiter verè fecisse sustinemus.

IV. NOn possunt plures Divinæ Personæ eandem naturam creatam assumere, benè verò unica Persona Divina plures simul naturas creatas & diversæ rationis, in quo casu si plures naturas humanas assumeret probabilius putaremus, fore dicendos plures homines.

V. INcarnationis unicum motivum non fuit redemptio nostra unde est quod etiam Adamo non peccante ex vi præsentis Decreti adhuc facta fuisset incarnatio quo ad substantiam, licet non quo ad modum, quo facta est, scilicet in carne passibili, cum revera in tali hypothesi venisset Christus in carne impassibili.

VI. CHristus fuit Beatus à primo suæ Conceptionis instanti, fuitquè in ipso scientia infusa cum qua adhuc probabiliter stare potest quod Humanitas Christi habuerit etiam scientiam naturalem nostræ similem successu temporis propriis actibus acquisitam. Fuit etiam liber, peccare tamen non potuit, quod non in probabiliter salvari potest, vel per hoc quod in præceptis positivis adimplendis liber fuerit quoad circumstantias in substantiam actus redundantes, vel per hoc quod dependenter ab ipsius voluntate impositum fuerit illi præceptum, & dispensationem obtinere potuisset si voluisset.

VII. CHristus DEUS & Homo, id est subsistens in natura Humana & Divina, una latriæ adoratione adorandus est; Beatissima verò Virgo cultu Hyperduliæ, & Sancti omnes in Cælis degentes cultu Duliæ, horumquè Reliquiæ & Imagines cultu respectivo venerandæ sunt; hinc est quod Sanctorum invocatio, Sanctissimæ Crucis, aliasque Christi, vel Sanctorum Reliquias, vel Imagines in Templis collocari, & cultum respectivum eis exhibere laudabilissimum ac utilissimum Ecclesia hoc docente & præcipiente semper fuit,

DE SACRAMENTIS
in Genere & in Specie

I. SEptem instituit Christus Dominus nec plura, nec pauciora in Lege nova Sacramenta, eaquè à Sacramentis Legis veteris longè distincta & nobiliora quippe non solum significare habent, sed etiam significando efficere gratiam, suntq; sequentia Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pænitentia, Extrema, Unctio, Ordo & Matrimonium, per quæ parata nobis in Cruce Medicina tanquam per effluvia in nos copiosissime exundat.

II. EX rebus & Verbis tanquam ex materia & forma juxta Florentini doctrinam intrinsecè componuntur novæ Legis Sacramenta, quorum singulorum materiam & formã Christus Dominus determinavit vel specificè, vel saltem genericè. Proinde si mutatio aliqua substantialis fiat nullum & irritum erit Sacramentum secus verò si accidentalis. Illa intervenit quando vel res non censentur eædem, vel verba eundem sensum non retinent. Hæc quando talis fit mutatio ut eædem substantialiter sint res eademquè in verbis significatio.

III. NOstra isthæc Sacramenta gratiam conferunt non modò intuitu operis honesti ex Sanctitate illius à quo elicitur id est ex opere operantis, verum etiam præcisè intuitu ipsius operis prout institutià Christo seu ut loquuntur Theologi ex opere operato. Hanc gratiam moraliter solum causant, & æquidem qualem in subjectis æqualiter dispositis, si unum cum altero intra eandem speciem Sacramento comparetur. Inæqualem verò commensuratam in æqualitati propriæ dignitatis & præstantiæ, si unum Sacramentum per comparationem ad aliud specie diversum sumamus.

IV. PRæter gtariã Sãctificantẽ quæ est cõmunis effectus;Sacrãentorũ Primã quidẽ in Sacramentis mortuorũ, & secundã in Sacramentis vivorũ, habent singula gratiàm Sacramentalẽ causare quæ ordinata est ad proprium finem uniuscujusque Sacramenti. Insuper Baptismus, Confirmatio & Ordo tanquam peculiarem effectum habent imprimere characterem, qualitatem scilicet Spiritualem animæ Divinitus infusam indelebiliter permanentem, quæ immediate in ipsa substantia animæ imprimitur, redditque tria hæc Sacramenta irreiterabilia.

V. IMmediatus Sacramentorum Institutor fuit Christus Dominus Legistator noster quod ita debet intelligi ut Christus Dominus qua DEUS tanquam causa principalis & qua homo tanquam causa immediate determinans signa illa sensibilia septem, [& tanquam merens ut DEUS ijs mediantibus concurreret ad conferendam infallibiliter gratiam instituerit immediatè omnia novæ Legis Sacramenta.

VI. ALios sub se Sacramentorum suorum Ministros Christus instituit qui sicuti & subjecta secundum Legem otdinariam homines esse debent [neque loquendo de Ministris] quicunque viatores, sed ad id specialiter deputati, excepto Baptismo, & matrimonio Quamvis de Lege extraordinaria & Angeli, & Beati possint Sacramenta conficere.

VII. NOn pendent Sacramenta quo ad valorem à probitate & Fide Ministri, sed solum quo ad licitum, ita ut mortaliter peccet si ex officio Sacramentum conficiens Sancta Sanctè non tractet multoque minus requiritur in Ministro quod prædestinatus sit. Exigitur tamen ad validitatem in eodem Ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia, vel æquivalens; nec solum materialiter adhibendo Ritus externos etiam seriò, verùm etiam formaliter. Ex triplici intentione actuali virtuali & habituali prima non est reqnisita, secunda sufficit, non tamen tertia. Si intentioni addatur conditio depræsenti, aut de præterito non obstabit valori Sacramenti si res ita sit sicut exprimitur in conditione, secus si conditio sit de futuro excepto Matrimonio. Debet intentio ministri esse determinata circa materiam & subjectum præsens, non tamen circa subjectum in particulari, adeo ut hujusmodi error si Matrimonium excipias non redat irritum Sacramentum.

VIII. IN subjecto habitualis intentio sufficit & ut gratiam suscipiat nullum debet ponere obicem. Si peccator publicus indigne petat sive occultè sive publicè, Sacramenta eidem administranda non sunt, idem quoq; dicendum si peccator occultus petat privatè secus si publicè. A Ministro indignè ministrante ab Ecclesia non tolerato solum Baptismum & Pænitentiam in extrema necessitate constituti petere possunt. A tolerato verò justà & rationabili interveniente causa quodlibet Sacramentum petere licitum est.

IX. BAptisma quod est Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum ad Spiritualem hominum regenerationem tunc exordium habuisse censemus quando in Iordane Christus Dominus baptizari voluit & quidem à Ioannis baptismo diversum. Hujus Materia remota est aqua sola elementaris, proxima ablutio. Forma vero. *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

X. TRiplex distinguitur Baptismus flaminis fluminis, & Sanguinis. Baptismꝰ flaminis seu contritio perfecta cum voto suscipiendi baptismum fluminis quando revera hic suscipi non potest ejus vices supplet in adultis ex opere operantis, baptismus Sanguinis seu Martyrium tum in adultis, tum in parvulis ex opero operato; cum quo tamen stat quod solus baptismus aquæ sit verum ac proprium Sacramentum.

XI. CErtum est quemlibet hominem in casu necessitatis posse baptismum ministrare, licet si multi sint ad licitam administrationem servari regulariter debeat talis Ordo, ut inferior non baptizet præsente superiore, cujus ordinis observatio sub præcepto gravi non obligat nisi præsens sit Sacerdos cui soli ex officio competit baptismum ministrare. Extra casum necessitatis solemniter baptizare potestate ordinaria solus potest Episcopus in sua Diœcesi, & Parochus in propria Parochia; Potestate delegara simplex etiam Sacerdos; & ex aliqua rationabili causa etiam Diaconus absente Sacerdote.

XII. QUilibet homo Viator utpote capax Regni DEI ad quod introire non potest, nisi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto capax est suscipiendi Baptismum sive adultus sit sive parvulus quidquid reclament anabaptistæ. Ad hanc renativitatem necessa-

ceſſaria non eſt nativitas ex utero, ſed ſufficit nativitas in utero ad valorem Sacramenti, dummodo ipsâ habitâ poſſit infans ablui. Hinc eſt quod inſtante partu dum uterus ſive naturaliter, ſive per inciſionem aperitur valide confertur Baptiſmus infantibus in utero Matris totaliter exiſtentibus, & licitè etiam ſi ſint in vitæ diſcrimine poſiti.

XIII. PUeri infidelium, quibus Parentibus etiam invitis miniſtrare licet baptiſmum ſi uſum rationis habentes ſponte petant, vel in articulo mortis conſtituti ſint; utroquè diſſentiente ex Parentibus baptizari licitè non poſſunt etiam authoritate Principis cui civiliter ſubjacent, gratia enim non deſtruit ſed perficit naturam; ſecus verò authoritate Principis cujus ſunt mancipia.

XIV. AD Baptiſmū valide ſuſcipiendū in adulto requiritur intentio ad validū & licitum ultra intentionem neceſſaria quoquè eſt fides, & ſaltem attritio in eo qui ultra peccati originalis actualis etiam maculas contraxit, ſi tamen cum obice ſuſcipiatur remoto obice reviviſcere dicimus ut communiſſima fert opinio.

XV. VLtra neceſſitatem medii relatè ad omnes, in adultis neceſſarius eſt Baptiſmus etiam neceſſitate præcepti vel in re, vel ſaltem in voto, ſi non poſſit ſuſcipi in re, qua propter graviter peccaret qui habitâ notitiâ ſufficienti baptiſmi, vel ad ultimum vitæ, vel ad longum tempus ſuſceptionem differret ſicuti peccant Parentes qui plusnimiò baptizare protrahunt proprios filios.

XVI. EFfectus Baptiſmi eſt gratiam Sanctificantem ſimul cum domnis & virtutibus infuſſis & Sacramentalem etiam conferre, nec non characterem imprimere, per quæ liberat quidem à captivitate dæmonis, à pænalitatibus tamen hujus vitæ non eximit, nec de ſe à conditione ſervili.

XVII. COnfirmatio non eſt otioſa ceremonia à Melchiade Papa, vel à Concilio Meldenſi introducta ſed verum novæ legis Sacramentum, quo mediante poſtquam in undis Baptiſmatis nobis congenitum primordiale crimen depoſuimus nova virtute contra aſſiduè infeſtantes ſalutis noſtræ inimicos roboramur ad pugnam à Chriſto Domino: inſtitutum non Mathæi decimô nonô quando pueris manus impoſuiſſe dicitur, vel Ioannis vigeſimô cum tradidit Spiritum Sanctum, ſed probabilius dum in ultima cæna Apoſtolos Chriſma conficere docuit.

XVIII REmota hujus Sacramenti materia eſt Chriſma, quod conficitur ex oleo olivarum admixtô balſamô per Epiſcopum benedicto, Proxima verò eſt unctio chriſmatis in fronte in modum Crucis per manus Epiſcopi ordinariè facta ut ſit conſona formæ, quæ apud Latinos eſt; *Signo te, ſigno Crucis, confirmo te Chriſmate ſalutis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

XIX. ORdinarius Confirmationis Miniſter eſt omnis & ſolus Epiſcopus, qui validè confert etiamſi jurisdictionem non habeat. Extraordinarius ex delegatione ſummi Pontificis non vero Epiſcopi poteſt eſſe ſimplex Sacerdos, cui non eſt improbabile quod ſummus Pontifex poſſit concedere facultatem conſecrandi etiam Chriſma.

XX. OMmes & ſoli baptizati apti ſunt ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, ſi autem confirmetur adultus neceſſaria eſt intentio ad Sacramentū & ad fructum etiam Sacramenti ultra requiritur fides & gratia. Quibûs deficientibûs ex tribus effectibus quos habet conferre, imprimetur in ſubjecto character, ſed non dignabitur augmento gratiæ Sanctificantis, & gratia Sacramentali, quæ omnia licet utiliſſimum reddant hoc Sacramentum ad ſalutem conſequendam; nullus tamen ſive medii ſive præcepti neceſſitate cogitur ad illud ſuſcipiendum ut ſalutem obtinere valeat.

XXI. EUchariſtiæ Sacramētū in quo Sacramētorū Author Xſtus Dominꝰ in ſui corporis & Sāguinis ſubſtantia realiter & non in ſigno ut voluit Calvinus ſub panis & vini ſpeciebus, non ſubſtantia ut ſomniavit Lutherus, continetur & à Fidelibus ſumitur ad ſpiritualem illorum refectionem in nocte Cænæ fuit inſtitutum à Chriſto Domino quando diſceſurus ex hoc mondo ad Patrem divitias Divini ſui erga homines amoris veluti effudit memoriam faciens mirabilium ſuorum Adæqnatum ipſius conſtitutivum non ſunt ſpecies tantum, vel Corpus & Sanguis Chriſti ſolum, ſed utrūquè ſimul; è contra verba conſecrationis utpote transeuntia ad ipſius rationem intrinſecam quæ permanens eſt pertinere non ducimus; quod à fortiori negamus de uſu; qui nec totaliter conſtituit nec partialiter integrat hoc Sacramentum, ſed eſt pura conditio ut gratia nutritiva cauſetur.

XXII. EUchariſtia prout conſtat duabûs ſpeciebûs panis & vini Materialiter ſumpta dici poteſt multiplex ſpecie Sacramentum, formaliter verò propriè & ſimpliciter loquendo eſt unum unitate ſpecifica athoma Sacramentum, quod ex his duabus partibus integratur ut fiat ſpiritualis refectio, à qua utpote ipſius fine propriam unitatem deſumit. Si plures conſiderentur hoſtiæ ſecundum ſe plura erunt in individuo Sacramenta; unum tantum ſi unico ſumantur actu, adeo ut dicant ordinem ad unicam refectionem. Ma-

XXIII. MAteria quæ convertitur in Corpus Christi est solus panis triticeus, qui sive azymus sit, sive fermentatus ad valorem est æquè sufficiens; pro Græcis tamen illicita est consecratio in azymis, sicut in fermentato pro Latinis exemplum Christi Domini sequentibus qui in azymo consecravit, dum ad vesperas Lunæ decimæ quartæ Mensis Nisan Pascha manducavit cum discipulis suis.

XXIV. MAteria Calicis est vinum de vitæ, non tamen corruptum ut acetum. Quod si acescere incipiat valida, sed illicita erit consecratio; non est tamen necessarium quod creverit in vite, cum vinum miraculose factum puta aqua in vinum vitigineum conversa ad consecrationem æquè valeat.

XXV. AQua elementaris in modica quantitate vino consecrando misceri debet, non de necessitate Sacramenti vel præcepti Divini sed duntaxat Ecclesiastici. Hæc non opus est quod prius convertatur in substantiam vini ad hoc ut transsubstantietur in Sanguinem, propterea immediatam conversionem sustinemus.

XXVI. QUàmvis consecrato pane habeatur sub accidentibus verum Christi Corpus quin consecretur sub alia specie Sanguis, consecratio tamen sub utraque specie de Jure Diviuo est inseparabilis. Hinc uno Sacerdote pereunte post primam debet alius adhiberi ad ponendam secundam.

XXVII. VErba Consecrationis essentialia sunt pro Corpore. *Hoc est Corpus meum.* Pro Sanguine *Hic est calix Sanguinis mei*, aut his penitus æquivalentia, quæ verba non sufficiunt si narrativè sed debent etiam enuntiativè proferri, cum sacerdos debeat agere in Persona Christi cujus est Minister. Pronomina illa *hoc* & *hic* demonstrant Christi Corpus & Sanguinem non sub explicita, sed sub confusa ratione continenda sub speciebus in fine prolationis verborum.

XXVIII. LEgitimus hujus Sacramenti Minister est solus Sacerdos, quemadmodum & subjectum omnis homo viator qui baptismũ suscepit. Ab Eucharistiæ tamen susceptione arcendos esse pueros & amentes docet Catechismus Romanus, non est enim necessaria necessitate medii sed solum præcepti; à fortiori neganda erit publicis peccatoribus.

XXLX. COmmunio sub utraquè specie Laicis à Christo non est præcepta nec ad salutem necessaria est, & ideo Ecclesia Calicis usum Laicis subtrahere potuit, justisque de causis subtraxit absquè ullo detrimento, cum probabile sit majorem gratiam non conferri Communicanti sub utraquè specie ac sub una.

XXX. SAcrificium est oblatio externa rei sensibilis DEO præstita à legitino & publico Ministro in protestationem supremi ejus dominii in omnia præsertim in vitam & mortem, quæ ratio huic Eucheristiæ Sacramento perfectissime convenit, estquè propterea verum ac præstantissimum novæ Legis Sacrificium, cujus essentia non in oblatione aut sumptione sed in sola Consecratione consistit.

XXXI. QUia est impetratorium & propitiatorium, pro vivis in Ecclesia offeri solet, & salubriter etiam pro defunctis in Christo mortuis, qui detinentur in purgatorio, Pro Missarum celebratione licitè potest Sacerdos stipendium accipere, non potest tamen pluribûs acceptis stipendiis unius satisfacere oblatione sacrificii, quin etiam lædat debitum justitiæ.

XXXII. PÆnitentia quæ ut virtus considerata est habitus moralis inclinans in vindictam peccati ex motivo redintegrandi ius Divinum læsum per peccatum quod utiquè præstat per actus detestationis & doloris, tantæ necessitatis simul & efficatiæ est, ut supposito peccato in hac Providentia nulla possit esse sine pænitentia remissio, & aliunde nulla sit tam enormis peccatorum multitudo atque gravitas, quæ per pænitentiam in hac vita deleri non possit.

XXXIII AD rationem Sacramenti fuit à Christo Domino elevata pænitentia quando Discipulis suis protulit illa verba *Accipite Spiritum Sanctum* propterea dari verum ac proprie dictum Sacramentum Pænitentiæ cum Ecclesia Catholica confitemur. Hujus autem materia remota atquè ab hoc Sacramento destruenda funt peccata Fidelium. Materia autē proxima *ex qua* sunt actus pænitentis nempe contritio, Confessio, & satisfactio juxta Tridentinum sessione decimâ quartâ capite quarto. Ex quibus tamen satisfactio non est pars essentialis ipsius, sed solum integralis. Forma verò sunt verba illa *Ego te absolvo à peccatis tuis &c.* Quamvis essentialiter solum consistat in illis verbis *absolvo te.*

XXXIV COntritio quæ genericè accepta juxta Tridentinum est animi dolor & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, ut ad justificationem disponat debet esse vera, supernaturalis, efficax, appretiativè summa, & universalis non solum se extendens ad omnia mortalia commissa nondum remissa sed etiam ex motivo adeo

ut si

ut si concipiatur exspeciali turpitudine alicuius particularis peccati dispositio sufficiens non sit ad justificationem, propterea negamus dari posse Sacramentum pænitentiæ validum & informe.

XXXV. Alia est quæ charitate perficitur, seu quæ ex motivo dilectionis DEI concipitur & contritio perfecta dicitur, quæ etiam extra Sacramentum cum solo Sacramenti voto ultimo ad gratiam Sanctificantem disponit. Alia quæ ex turpitudine peccati vel ex metu Gehennæ & pænarum concipitur; & hæc quæ attritio dicitur non modo est actus honestus, atquè laudabilis, sed etiam satis est in Sacramento ad veniam peccatorum obtinendam, etsi nullam charitatem perfectam, neque inchoatam, nequè conatum ipsius includat.

XXXVI. Confessionem auricularem institutam esse à DEO in partem Sacramenti Pænitentiæ certo certius est contra Novatores, qui illam dicunt Papisticum figmentum, hæc autem essentialiter dicit integritatem formalem non materialem; ut scilicet ea omnia dicamus quæ manifestare possumus. Ad Confessionis integritatem spectat nedum confiteri omnia specie & numero peccata mortalia commissa, quæ clavibus nondum subjecta fuêre, sed etiam omnes circumstantias peccatorum speciem mutantes, non tamen solum per se loquendo circumstantias aggravantes. Insuper nedum si probabiliter putemus aliquod peccatum fuisse commissum vel certo commissum non fuisse confessum, non habita solida probabilitate in oppositum, sed etiam si dubium negativum sit tenemur illud in Confessione aperire. Tandem licet non sit complex manifestandus, si tamen aliter non possit quis suum peccatum exprimere nec Confessionem differre, nec alium Confessarium adire cui ignotus sit complex tenetur suum peccatum confiteri etsi exinde possit Confessarius devenire in cognitionem complicis.

XXxVII. Cum ad Judicis & Medici officium spectet pænas delictis debitas, & medicinam morbo convenientem aptare, tenetur Pænitenti si capax sit satisfactionem Confessarius imponere & ille adimplere, ne Sacramentum careat parte sua integrali quà retribuat DEO offenso aliquam satisfactionem, & diminuatur pæna temporalis peccatis debita.

XxxVIII. Juvat etiam ad talem pænam eluendam vel in totum, vel in partem acquisitio alicujus Indulgentiæ. Cum revera detur in Ecclesia DEI potestas concedendi ex ejusdem Ecclesiæ thesauro Indulgentias Fidelibus, quæ nedum valent pro vivis, sed per modum suffragii applicari possunt etiam in Christo defunctis in purgatorio detentis.

XXXIX. Minister Sacramenti Pænitentiæ est solus Sacerdos, qui licet habeat potestatem Ordinis nequit hoc Sacramentum validè ministrare nisi habeat etiam Jurisdictionē, & approbationem à Loci Ordinario vel à Pontifice. Sufficiet tamen ad validè administrandum jurisdictio solùm probabilis. Debet insuper Confessarius se accōmodare opinioni Pænitentis, dummodo hæc probabilis sit. Et audita Confessione ad tam arctum sigillum tenetur de Jure Divino, Naturali, & Ecclesiastico, ut excepto libero consensu Pænitentis nunquam illud violare possit, nequè licitus unquam sit usus scientiæ in Confessione acquisitæ quoties ex tali usu directè, vel indirectè peccatum pænitentis revelaretur.

X L. Datur in Ecclesia potestas reservandi peccata, quod justa interveniente causa, & in bonum animarum licitè fit, & ab his non habens facultatem absolvendi à reservatis solum indirectè absolvere potest. Porro hujus reservationis materia est quodlibet peccatum mortale, sive habeat, sive non habeat annexam censuram, quamvis defacto nullum sit peccatum Pontifici reservatum absquè censura, quinimo possunt etiam reservari peccata dubia & merè interna.

XLI. Censura quæ est pæna spiritualis medicinalis per quam homini baptizato, delinquenti ac contumaci per potentiam Ecclesiasticam aufertur usus quorundam spiritualiū bonorum dividitur essentialiter in Excommunicationem, suspensionem & interdictum Accidentaliter verò in eam quæ est ab homine; nec non in eam quæ est latæ sententiæ, & eam quæ est sententiæ ferendæ. Hanc autem censuram solus ferre potest qui habet in foro externo contentioso Jurisdictionem. Quo ad absolutionem tamen si per sententiam particularem lata sit, is tantum potest absolvere qui eam tulit aut ipsius successor, vel ejus Superior, vel Delegatus. Si verò lata sit à jure communi vel ab homine per sententiam generalem, si non sit reservata potest absolvere quilibet qui censuratum potest à peccatis absolvere.

XLII. Censuræ affinis est irregularitas, quamvis verè, censura non sit sed solum Impedimentum Canonicum susceptionem ordinum sacrorum, & susceptorum exercitium impediens. Quæ duplex est alia scilicet ex defectu, altera ex delicto quæ in dubio Juris vel facti non contrahitur.

XLIII. Extrema unctio verum ac propriè dictum novæ Legis Sacramentum, Oleum Olivarum ab Episcopo benedictum pro materia remota habet, unctionem verò per modum

Crucis in variis partibus corporis juxta Rituale Romãnum pro materia proximâ recognoſcit. Forma ſunt illa verba quæ ab eodem Rituali aſſignantur; quamvis probabiliſſimum ſit de eſſentia ſolum eſſe verba ſequentia. *Per iſtam Sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti.*

XLIV. HUjus Sacramenti Miniſter eſt ſolus ſacerdos, qui etiam debet eſſe proprius Parochus ſi poſſit haberi, & quamvis unus ſacerdos ad illud adminiſtrandum ſufficiat; plures tamen etiam illud valide conferre poſſunt; & licitè ſi primus, qui unctiones incepit nequeat perficere, vel periculum ſit in mora, adeo ut unus ſolus Sacerdos probabiliter nequeat peragere omnes unctiones antequam infirmus moriatur

XLV. QUinquè communiter aſſignantur ex parte animæ Extremæ unctionis effectus, & unus relatè ad corpus. Prioris generis ſunt, primus Gratia Sanctificans, ſecundus ſpeciale gratiæ auxilium tum ad vincendas tentationes in articulo mortis occurrentes; tum ad ſpem & confidentiam facilius & firmius in DEUM erigendam, tum etiam ad morbi & mortis moleſtias majori cum patientia tolerandas. Tertius. Remiſſio peccatorũ mortalium ſi quæ forte habet infirmus, quæ habere ſe bona fide & invincibiliter ignorat, & de illis ſaltem ingenere attritus ſit. Quartus. Remiſſio venialium. Quintus abſterſio reliquiarum peccati. Secundi generis eſt Corporalis ſanitas dummodo hæc ſaluti animæ expedit.

XLVII. EXtremã unctionem ſuſcipere poteſt homo baptizatus qui rationis uſum adeptus ſit, & propter morbum vita periclitetur, qui ſi poſſit debet Pænitentiæ & Euchariſtiæ ſuſceptionem præmittere, & ſi hoc non poſſit, ſaltem attritionem ſi peccati mortalis conſcius ſit. Nequè iterari poteſt eodem mortali periculo durante; ſecus verò ſi eodem etiam perſeverante morbo poſtquam primum quis evaſerit, novum aliquod mortis periculum iterum incurrat.

XLVII. DAtur etiam Sacramentum Ordinis in ſeptem gradus diviſum, ſuntquè Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Accolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus & Præsbiteratus, qui omnes verè ſunt ordines verũquè ac propriè dictũ Sacramentũ; licet ratione ordinis & finis quem dicunt unicum conſtituant Sacramentum. Hinc eſt quod prima tonſura eſt ſolum præparatio ad ordines;& Epiſcopatus quamvis revera ſit ordo, probabilius tamen cenſemus hunc non eſſe adæquatè & omnino diſtinctum à Sacerdotio.

XLVIII. OMnis & ſolus maſculus eſt ſubjectum capax, ſicuti omnis & ſolus Epiſcopus eſt Ordinarius Miniſter Sacramenti Ordinis. Extraordinarius tamen ex conceſſione ſummi Pontificis poteſt eſſe quo ad minores Ordines ſimplex Sacerdos, & probabilius etiam quo ad majores excepto præsbiteratu. Materia verò hujus Sacramenti remota eſt res illa quæ traditur à Miniſtro in prolatione formæ. Traditio rei materia proxima. Et forma ſunt illa verba quæ proferuntur in traditione materiæ.

XLIX. SAcris Ordinibus de jure Eccleſiaſtico cælibatus laudabiliſſime annexus eſt. Et omnibus quinimo primæ Tonſuræ etiam privilegium Canonis & Fori, cum verè de jure Divino, Canonico; & civili exempti ſint Clerici à Laica poteſtate.

L. SPonſalia quæ ſunt futurarum nuptiarum inter legitimas perſonas mentio & repromiſſio, exigunt ex parte promiſſionis quod ſint mutua & acceptata, & quod ſint ſignis ſenſibilibûs manifeſtata. Ex parte vero promittentium Primo quod ſint Perſonæ matrimonii capaces ſaltem pro quando promittitur matrimonium. Secundo quod uſu rationis polleant, & quod uterquè contrahentium liberè conſentiat. Non eſt tamen neceſſe etiam poſt Tridentinum, ut coram Parocho & teſtibus ſponſalia de futuro contrahantur. Quamvis conſultiſſimum ſit teſtes adhibere, ut in foro externo fides haberi poſſit.

L I. EX legitimè initis Sponſalibus gravis obligatio ad contrahendum Matrimonium conſurgit, multis tamen de cauſis reſilire quis poteſt. Primo ſi utraquè pars ia ſolutionem ſponſalium conſentiat. Secundo elapſo tempore ad contrahendum matrimonium conſtituto. Tertio ſi quis dum ad pubertatem pervenerit petat ſolvere ſponſalia ante pubertatẽ inita. Quarto per longinquã peregrinationẽ aut abſentiã alterius. Quinto per profeſſionem Religioſam & Sacrorum Ordinum ſuſceptionem, imo etiam ex parte illius qui in ſæculo remanet, per ſolum ingreſsum in Religionem. Sexto per ſubſequens Matrimonium ratum. Septimo per ſubſequentem alterius ſponſi fornicationem. Octavo per notabilem mutationem, aut cauſam denovo ſupervenientem. Nono per non adimpletionem conditionis juſtæ ſponſalibus appoſitæ. Decimo per dolum dantem cauſam contractui.

LII. MAtrimonium quod rite dicitur contractus viri & fæminæ legitimus quo mutua corporum poteſtas traditur ad generationem prolis ordinata, & ad conſortium vitæ communis à DEO quidem in Paradiſo ante Adæ peccatum inſtitutum, & à Chriſto Domino in Lege Gratiæ ad Sacramenti Sanctitatem elevatum; dicit ut materiam remo-

tam

tam ipsa corpora contrahentium, ut proximam consensum utriusquè Conjugis, ut formā mutuam acceptationem verbis vel signis expressam.

LIII. Consensus contrahentium ita est ad Matrimonium requisitus ut nulla humana authoritate suppleri possit; non est tamen necesse quod sit personaliter expressus cum sufficiat ad Matrimonium si per Procuratorem exprimatur. Sicuti etiam necesse non est ad Matrimonium ut interveniat consensus explicitus in copulam. Quare optimè salvatur Beatam Virginem verum matrimonium contraxisse non obstante voto castitatis, ad quæ simul concilianda duplex statuendus est contractus, quorum primus præcipuus & insolubilis concedat de præsenti facultatem irrevocabilem utendi corpore non de præsenti, sed tunc cum fuerit expeditum secundum vinculum quod in alio contractu apponitur, scilicet de non usu corporis, nisi habeatur consensus mutuus contrahentium, qui secundus contractus ex justitia obligat donec à contrahentibus rescindatur.

LIV. Vinculum Matrimonii in Lege Evangelica indissolubile est utroquè Conjuge superstite, exceptis duobus tantummodo casibus, in quibus Christus solutionem concessit, unus est in favorē Religionis si unus Conjugum post matrimonium ratum in Professione Religiosa Votum castitatis solemne emittat, alter in favorem Fidei si conjux Infidelis etiam post Matrimonium consumatum nolit cum conversa ad fidem habitare sinè Blasphemia Divini Nominis. Cæterum libellum Repudii in Lege veteri ob duritiem Hæbreorum concessum omnino à Christo Domino sublatum esse dicimus. Quare ob fornicationem licet possit solvi Matrimonium quo ad thorum, quæ solutio etiam fieri potest ex mutuo Conjugum consensu, per lapsum unius in hæresim vel infidelitatem, & ob sævitiem alterius Conjungis; non licet tamen solvere matrimonium quo ad vinculum quidquid in contrarium mussitent Schismatici cum Hæreticis.

L V. Neque potest unus altero Conjuge vivente secundas nuptias celebrare. Nedum enim Biviriam quæ fuit semper prohibita, sed etiam Poligamiam aliquando à DEO permissam Christus Dominus prohibuit ad primum suum institutum Matrimonium revocans. Quare jure novo Tridentini sessione vigesimâ quartâ canone secundo rite anathematizantur qui dicunt Christianis licere plures simul habere uxores, hocquè nulla Divina Lege prohibitum esse. Uno tamen Conjuge demortuo potest superstes ad alias nuptias transire.

L VI. Dari in Ecclesia potestatem inducendi cujusvis generis impedimenta certum est & comprobatum in Tridentino apponente præsentiam Parochi & testium. Quod tamen nō est immutare substantiā Sacramenti Matrimonii; nam licet Christus validū contractum ad rationem Sacramenti elevaverit non determinavit tamen qualis debeat esse hic contractus & cum qualibus circumstantiis ut validus sit.

LVII. Alia itaque sunt impedimenta quæ contractum matrimonialem celebrare prohibent, alia quæ irritant eundem contractum si cum tali impedimento celebretur. Ex primis licet plura enumerentur Jure antiquo statuta modo tamen solum sequentia observantur, nempe prohibitio Ecclesiæ, & tempus feriatum, Sponsalia & votum castitatis vel etiam votum simplex Religionis. Irritantia verò post Tridentinum quatuordecim numerantur, ex quibus si errorem excipias, consanguinitatem in primo gradu sive rectæ, sive transversalis lineæ, impotentiam, & vinculum prioris matrimonii, quæ de jure naturæ matrimonium irritum reddunt, cætera solum jure humano matrimonium dirimunt propterea in his potest summus Pontifex dispensare.

De Legibus.

I. Lex quæ est Regula actionum humanarum ingenita, vel præscripta, & promulgata ab eo qui curam & potestatem habet in communitate ad bonum commune obligans ad aliquid faciendum vel omittendum debet esse in commune bonum, justa & iustè lata, debet esse stabilis, permanens ac durans & obligans quousquè revocetur, debet esse aliquomodò perpetua. Non est tamen necessariū ad rationem legis quod scripta sit.

II. Causa materialis ex qua seu illius subjectum est intellectus & voluntas superioris, cum utriusquè potentiæ actus sit Lex; causa autem circa quam versatur sunt actiones humanæ, quæ sub Lege cadunt ut per eam rectè fiant & à pravo declinent. Causa formalis est ipsa Justitiæ norma quam Lex præsefert. Finalis est bonum Communitatis insti-

ſtituendum vel ſtabiliendum. Efficiens tandem ille eſt qui habet ſupremam authoritatem in communitate, ſive unus ſit ut in gubernio monarchico, ſive plures ut in Ariſtocratico, & Domocratico.

III. SUbjectum quod ad Legem tenetur eſt homo ſubditus capax rationis. Si verò Lex purè humana ſit Legem condens ad obſervantiam legis à ſe vel à Prædeceſſore ſuo latæ non obligatur ex vi coactiva, bene verò ex vi directiva & æquitate fundata in jure naturæ, dummodo ſit lex circa materiam univerſalem, & accommodatam non ſolum ſubditis, ſed etiam Principi. Quinimo ſi municipalis ſit nec obligantur Peregrini legibus locorum ad quæ ſe transferunt intentione ibi manendi minori anni parte, ſecus verò dicendum ſi illuc ſe transferant ex animo contrahendi domicilium, vel majori anni parte ibi manendi.

IV. A Lege æterna DEI à qua omnes Leges derivant profluit etiam Lex naturalis quæ conſiſtit nedum in actu oſtenſivo & indicativo boni & mali, verum etiam præceptivo ac obligante ad ea quæ tali Lege præſcripta ſunt, ea nobis quæ intrinſecè bona ſunt præcipit, quæ verò intrinſecè mala prohibet, propterea nullam pati poteſt vel mutationem, vel diſpenſationem propriè dictam ſive ab homine, ſive à DEO, ſed ſolum impropriè permutationem ſcilicet materiæ ex qua Legis obligatio oriebatur.

V. DUplex fuit lex ſcripta à DEO hominibus in tempore impoſita. Una eſt lex vetus à DEO Moyſi tradita, quæ in veteri Teſtamento continetur, & à Moyſis tempore ad Chriſti mortem usquè & Reſurrectionem apud Judæos viguit. Altera eſt lex gratiæ longè nobilior acpræſtantior in novo Teſtamento exarata à Chriſto Domino lata & inſtituta, quæ tunc incepit obligare quando translato Sacerdotio neceſſe fuit ut legis translatio fieret, quæque ad ſæculi usque conſumationem duratura eſt.

VI. LEx humana juſta & rationabilis in conſcientia obligare habet. Hæc licet ad actus internos ſecundum ſe ſpectatos ſe non extendat, illos tamen reſpicere poteſt prout complementum ſunt actus externi, ſeu quatenus adinvicem connexionem aliquam habent ſeu dependentiam. Futura reſpicit non præterita, niſi ſpecialis clauſula pro præteritis apponatur, vel ſit antiqui juris declarativa, vel deniquè diſponat de ipſa executione ſeu ulteriore proceſſu negotii jam inchoati.

VII. QUamvis lex non obliget niſi promulgata ſit promulgatio tamen quæ non eſt cenſenda ratio formalis Legis, ſed conditio ſine qua lex obligare non habet ſubditos, alia non requiritur ſpectato jure naturali niſi quod fiat in Curia Principis, licet circa aliquas Leges aliter vel à jure, vel à conſvetudine introductum ſit, excepta tamen Lege Pontificia quæ publicata in Urbe publicata cenſetur in orbe. Acceptatio è contra per ſe loquendo neceſſaria non eſt ad hoc ut lex humana obliget; quamvis dum Princeps videt à majori parte communitatis legem non acceptari prudenter operetur ſi legis obligationem tollat, dummodo attentis circumſtantiis magis bono communi proſit abrogatio legis quam illius perſeverantia.

VIII. DIviditur lex humana in civilem quæ à poteſtate ſæculari, & Canonicam quæ à poteſtate Eccleſiaſtica fertur. Civiles dum præcipiunt aliquid, aut prohibent Eccleſiaſticos, aut Eccleſiaſticarum bona obligare non poſſunt absquè Eccleſiæ conſenſu, quæ tantum tunc conſentire videtur quoties prædictæ Leges ſacris Canonibus non repugnãt. Leges verò Canonicæ pro univerſo orbe condi poſſunt à ſummo Pontifice, quippe de jure Divino ſupremam poteſtatem habet in univerſa Eccleſia.

IX. DIſpenſare, quod eſt aliquem ab obligatione legis eximere remanentibus aliis ad Legem adſtrictis, ſolius legem condere valentis actus eſt, ſicut etiam ab rogare Legem, quod eſt tollere pro omnibus obligationem. Non denegamus tamen inferiori legislatori poſſe propriam legem abrogare etſi à Superiore confirmata ſit, niſi in confirmatione apponatur aliqua clauſula talem poteſtatem revocans.

X. COnſvetudinis, quæ definitur jus quoddam moribus hominum inſtitutum quod pro Lege ſuſcipitur cum deficit lex tres enumerantur proprietates, legem ſcilicet interpretari, novam inſtituere, & veterem abrogare, dummodo tamen inter alias requiſitas conditiones interveniat conſenſus Principis vel expreſſus, vel tacitus, vel legalis. Quibus conditionibus intervenientibus derogare poteſt etiam legi latæ cum hac clauſula. *Non obſtante qualicunquè conſvetudine in contrarium.* Quodſi per clauſulam aliquam provideatur obſervantiæ legis etiam contra futuram conſvetudinem puta ſi lex dicat. *Nulla in poſterum obſtante conſvetudine.* In illo tantum caſu vel circumſtantia poterit conſvetudo legem abrogare, quam veroſimiliter à legislatore ignoratam fuiſſe putabimus.

DE

De Justitia & Jure.

I. JUstitia virtutum omnium moralium præstantissima, quæ est constans & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi, exerceri potest inter Patrem & Filium etiam non emancipatum, inter servum & Dominum, Virum & uxorem, nec non inter DEUM & homines, adeo ut non solum in DEO sit jus proprietatis strictè dictum relatè ad omnes creaturas, ratione cujus possit disponere seu commodum libertatis suæ percipere ex omni usu possibili creaturarum, quod ius si violat creatura iniuriam committit, sed etiam possit DEUS conferre creaturæ jus strictè dictum obligando se ad gloriam verbi gratia conferendam ex contractu oneroso sub aliqua scilicet conditione, qua purificata per creaturam consurgat in ipsa jus strictè dictum erga DEUM.

II. JUs quod Justitia considerat est legitima potestas ad rem aliquam vel aliquam functionem obtinendam cujus violatio injuriam constituit. Inter species autem juris sunt dominium plenum importans ius disponendi de re ad omnes usus possibiles. Dominum directũ ferens solum ius in substantiam rei. Usus fructus qui dicit jus ad utendum & fruendum re salvâ ejus substantiâ, usus juris, qui fert solum jus ad utendum non verò ad locandum vel commodandum rem, nec ad alienandos ejus fructus. Datur insuper ab his longe diversus usus facti qui importat potestatem, utendi re absque ullo jure ad usum, propterea facultatem revocabilem ad nutum concedentis. Ex his dominium directum separabile est ab usu fructu perpetuo, & usus facti à Dominio etiam in jis rebus quæ unico usu consumuntur.

III. PRæter DEUM qui est plenissimus rerum omnium nedum jurisdictionis, sed etiam proprietatis Dominus, etiam homo dominium habet, quod tamen non in gratia & charitate fundatur, adeo ut etsi peccatores sint propterea neque Jurisdictionem in subditos neque proprietatem in res suas deperdunt. Pueri quoque & amentes capaces sunt dominii nec non servi & Filii familias respectivè ad aliqua bona. Negamus tamen reperiri posse inter duos homines plenum ac perfectum dominium in solidum, nedum loquendo de perseverantia dominii sed etiam de ipsamet inceptione. Quare in instanti donationis non penes donantem & donatarium, sed penes hunc tantum plenum & perfectum dominium esse recognoscimus.

IV. AD acquirendum dominium requiritur procul dubio dominii titulus. Hic autem triplex est. Primo inventio rei quæ nondum est ullius & propterea potest evadere primò occupantis; hoc modo acquiri possunt gemmæ in littore maris inventæ, pisces maris aut fluminum, feræ sylvarum, thesauri ab immemorabili defossi si licitò modô in fundo proprio inveniantur. Secundus titulus est legitimus consensus pacicentium, quo posito res primô Dominô relictô in alterius proprietatem cedit. Tertius est authoritas publica, quæ ob commune bonum, & citra, vel etiam contra consensum prioris Domini. Bona privatorum transfert in alios. Hoc autem contingere potest vel jure Gentium ut contingit in rebus acquisitis in bello iusto quæ evadunt capientium, vel authoritate Legis particularis, sive hoc sit ob culpam Domini, puta propter hæresim vel crimen læsæ majestatis, aut sine culpa ut accidit in præscriptione, & usucapione.

V. JUstitiæ injustitia opponitur, cujus proprius actus est iniuria, quæ nequit irrogari scienti & consentienti in iis quæ licitè cedere potest, secus tamen in iis quæ nequit cedere. Neque iniuriam committit Judex qui coactus sententiam ferre innocentis cogniti talis per scientiam privatam, qui tamen in Judicio probetur reus, vel absolutivam vel condemnativam, sententiam ferat condemnativam, cum revera aliter judicare nec possit, nec debeat.

VI. IN furto & rapina Iniuria relucet. Est enim furtum acceptio rei alienæ Domino rationabiliter invito; quare nisi excusetur ab extrema necessitatè in qua sola nõ tamen in gravi licitũ est tantũ accipere quãtũ necesse est ad propriæ necessitati cõsulendũ; vel ab eo quod Domino non existimetur rationabiliter invitus vel à parvitate materiæ peccatũ mortale est restitutionis obligationem inducens. Verum in taxanda hac materiæ quantitate probabilius respiciendam esse materiam nedum secundum se, sed etiam comparative ad qualitatem personarum adeo ut non eadem omnino quantitas reputanda sit gravis respectu unius Divitis, quæ respectu minus divitis meritò censetur gravis. Rapina tandem malitiæ furti superaddit etiã uiolentiam.

VII. QUod furtum & Rapina in fortunæ bonis hoc idem præstant detractio & contumelia in bonis famæ. Horum materia gravis per se loquendo est manifestatio peccati gravis occulti quoties loquendo de vero crimine hæc non sit necessarium medium ad evitandum periculum aliquod grave spirituale, aut temporale sive illius cujus referuntur

runtur sive alterius proximi neque est peccatum propria detegere crimina consule humilitate quoties nec scandalum nec damnum aliquod sive communitati sive alicuj particulari personæ exinde proveniat.

VIII. JUs proprietatis in vitam & membra nostra penes DEUM solummodo est, utile verò etiã penes homines. Illud lædit qui seipsum vel occidit vel mutilat qua de causa, neque ad vocis svavitatem comparandam, vel servandam castitatem seipsum castrare potest homo. Utrumque verò qui alieni Sanguinis effusor est alterum in juste occidendo vel mutilando. Quare nec Religioso, nec Clerico, nec viro honorato calumniatorem licet occidere etsi calumnia vitari nequeat. Idem dicendum est etiam de marito qui propria authoritate non potest occidere uxorem in adulterio depræhensam, quamvis ab humanis Legibus quo ad pænam excusetur, idem quoque dicendum de procurantibus abortum fætus animati, quinimo etiam qui impedit ne soboles nasci, vel concipi possit tanquam homicida à Sanctis Patribus condemnatur & meritò quidem non quia vitam homini adimit, sed quia immediatè & proximè vitam homini impedit, idque etsi fiat ne puela depræhensa gravida infametur & occidatur. Quamvis in hoc ultimo casu irregularitas non contrahatur ex capite, *si aliquis primo de homicidio.*

IX. LIcitum tamen est in bello justo hostes nocentes occidere quemadmodum etiam authoritate publica juxta qualitatem delicti vel morte, vel mutilatione subditos punire licet. Quinimo privatus quisque non modo ad tuendam vitam verum etiam ad rerum externarum magni momenti defensionem injustum invasorem licitè potest occidere si cesset probabilis adhuc spes eas recuperandi, servato tamen môderamine inculpatæ tutelæ, secus tamen dicendum est de ijs ad quæ quis habet jus inchoatum, aut sperat possidere, quæ certè defensione occisiva defendi non possunt.

X. HOmicidio vel mutilitationi voluntariæ & injustæ statuta est tanquam pæna à Jure Canonico irregularitas Ex homicidio verò casuali patrato ab eo qui dabat operam rei sive licitæ, sive illicitæ nulla incurritur irregularitas, dummodo res illa cui dabat operam cum periculo mortis minimè conjuncta fuerit & debitam adhibuerit diligentiam, ex quibus conditionibus si alterutra desit irregularis fiat Ex lenitatis autem defectu incurrunt irregularitatem in causa Sanguinis sententiam ferens, scribens & exequens, nec non ad executionem cooperantes; quin etiam accusator, testis, & quotquot illius mortis causa sunt.

XI. REstitutionis obligatio ex duplici radice ortum habet ex re scilicet accepta, & ex injusta acceptione; si ex primo capite orta sit obligatio tamdiu durat quamdiu res ipsa vel formaliter in se vel æquivalenter in effectu suo, perseverat. Si verò ex secundo remanet obligatio etsi res injustè & mala fide accepta perierit neque ullatenus sit & fuerit utilis accipienti. Item Possessor Bonæ fidei tenetur reddere solum fructus naturales & mixtos pendentes & perceptos si exstant. Malæ autem fidei Possessor ultra hos quos tenetur reddere etsi amplius non exstant, nec in ijs factus sit locupletior, tenetur etiam ad fructus quos recepit per hoc quod rem fecerit ipse meliorem, etsi talis à Domino facta non fuisset. Probabiliter etiam sustineri potest possessorem bonæ fidei reddere posse rem alteri ad recuperandum pretium, etsi prævideat rem Domino perituram quando aliter pretium recuperandi spes nulla supersit.

XII. PLures sunt causæ quæ à restitutione excusant, quarum præcipuæ sunt impotentia physica vel moralis, cessio bonorum compositio, remissio debiti facta à Creditore. Ad impotentiam reduci etiam potest incapacitas restituendi in eodem genere bonorum cum existimemus probabilius non dari obligationem ante sententiam judicis & secluso præcepto restituendi per bona alterius generis in eo qui non potest per ea bona satisfacere, in quibus alterum læsit.

XIII. COntractus qui genericè acceptus est conventio duorum vel plurium in alterutro saltem obligationem pariens versatur circa materiam possibilem, saltem in spe existentem certam & non prohibitam. Consensus ex quo obligatio consurgit si ex metu gravi ad hoc incusso extortus sit ex natura rei non reddit contractum nullum, quare nisi Jure positivo aliqui contractus invalidentur sicuti inter alios constat desponsalibus & matrimonio ex *capite veniens secundo & capite cum locum de Sponsalibus* irriti tales contractus non erunt, sed irritandi. Valet etiam contractus sub conditione honesta & possibili posito conditionis eventu, vel facti sub modo, dummodo talis modus substantiæ contractus non repugnet. E contra verò initi contractus ex errore vel antecedente, vel concomitante circa substantiam ex natura rei nulli sunt, quod etiam ex Juris positivi dispositione extendendum est ad contractus bonæ fidei ex dolo celebratos.

XIV. COntractum celebrare potest quicunque ratione præditus est & materiam habet ad contractum necessariam nisi à Jure prohibeatur, sicuti defacto prohibentur pupilli & mino-

minorennes. Quare contractus etiam sine licentia Tutorum vel Curatorum valent si in eorum commodum redundent; secus verò si in ipsorum detrimentum vertantur. Quinimo alienationes etiam de consensu Tutorum vel Curatorum à pupilis vel minorennibus factæ circa res immobiles, vel ex illis quæ servando servari possunt nullius valoris sunt, nisi ex sententia Judicis factæ sint & justa interveniat causa. Religiosi quoque, vel etiam Clerici Sæculares saltem si Sacris Ordinibus initiati sint Jure Canonico prohibentur negotiationi attendere, quæ prohibitio probabiliter non extenditur ad illos qui seclusa qualicunque circumstantia turpi per alios negotiationi attendunt.

XV. Aliquibus concessum est gaudere privilegio restitutionis in integrum cujus nomine intelligitur beneficium, seu remedium quo aliquæ personæ læsæ restituuntur à Judice in pristinum jus & statum, ita ut contractus validi celebrati cum ipsis rescindantur, si ipsis propter læsionem expediat ut rescindantur, vel ut æquetur pretium, si in pretio læsæ sint tam infra, quam supra dimidium modo læsio notabilis sit. Tali privilegio inter alios non solum gaudent minores, Respublica, & loca pia; uerum etiam homines rudes & mulieres, quæ ignorant Jura.

XVI. Emptio & venditio sunt contractus qui mutuo consensu perficiuntur, & ultro citroque emptorem ad tradendum pretium, & venditorem ad tradendas merces obligant. Ea omnia emi & vendi possunt quæ pecuniâ æstimantur nisi adsit specialis aliqua prohibitio. In venditionibus tamen servari debet justum pretium, quod aliquibûs concurrẽtibûs circumstantiis etiam circa eandem rem augeri potest; quodsi aliqua fraus interveniat in pretio vel illicitis monopoliis ultra debitum augeatur, tantum restituendum erit donec attentis circumstantiis ad moderatum pretium deveniatur. Si res vendita pereat vel deterior fiat post traditionem, emptori utique perit. Quod regulariter loquendo dicendum est etiam si hoc contingat ante traditionem, nisi adsit culpa, vel mora venditoris in re Domino tradenda.

XVII. Spirituale vendere non licet quin sordida simoniæ labes incurratur. Simoniacus namque est qui dat temporale pretium qualecumq; sit nempe sive munus à manu, sive munus à lingua, sive munus ab obsequio pro Spirituali, aut Spirituali annexo, vel viceversa, pacto explicitè aut implicitè interveniente, neque solum si spirituale detur ut pretium sed etiam quando est motivum consequendi Spirituale. Ad materiam simoniæ pertinet omissio actus Spiritualis authoritativa, cum quo tamen stat pecuniam exhiberi posse ad redimendam iniquam ministri vexam in extrema necessitate. Sicuti etiam materia Simoniæ est recipere aliquid pro ingressu ad Religionem, quamvis si Monasteriũ sit inops possit aliquid accipere pro congrua ingredientium sustentatione.

XVIII. Simonia quoque committitur si aliquod temporale accipiatur pro collatione beneficii non tantum quo ad jus exercendi ministerium spirituale quod propriè dicitur officiũ, sed etiam quo ad jus percipiendi reditus temporales quod præbenda appellatur. Simoniaca quoquè est resignatio Beneficii Confidentialis, aut etiam quæ fit cum conditione apposita solvendi expensas factas à primo possessore pro ejus pacifica possessione, vel cum simili onere beneficio minime annexo, nisi fiat sub conditione approbationis Pontificis, qui solus utpote plenitudinem potestatis habens disponendi de Beneficiis Ecclesiasticis potest illi beneficio quod resignatur consimile, vel aliud rationabile onus imponere. Potest tamen pecuniâ redimi injusta vexatio in Beneficiis Ecclesiasticis, dummodo in Beneficio plenum jus sit acquisitum, quin etiam ante Juris acquisitionem, saltem si vexatio redimenda sit ab eo qui solum potest obesse.

XIX. Mutuum est contractus quo rei Dominium transfertur in accipientem spe recipiendi similem in specie & Bonitate. Si immediatè ex mutuo lucrum percipiatur usura committitur; Quare usurarius est nedum qui aliquid supra sortem præcisè ex mutuo percipere paciscitur, sed etiam qui supra sortem aliquid exigit ratione obligationis ad non repetendã sortem usquè ad certũ tempus, sicuti etiam qui contractus antichrysios & contractus Mohatra exercet, quamvis liciti sint Montes Pietatis. Quodsi usuræ solvantur nullum acquirit dominium usurarius, qui eas restituere tenetur cum sit pretium proveniens ex radice omni Jure damnata. Hoc tamen non obstante justa urgente causa mutuum petere ad usuram licitum est, si moraliter nullus modus remaneat mutuandi, sicuti etiam mutuans aliquid supra sortem exigere potest si exinde detrimentum aliquod patiatur, sive sit lucrum quod proximè cesset, siue sit damnum aliquod quod superveniat. V. Josephi Marsatkoski mp